
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pane edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capucinum et Henricum Nicolai.
7. Erklärung der Worte Ephes. IV. 4. secunda editio.
8. Anatome Papismi imprimis Jesuitici.
9. Nathanael Hilgner Predigt bey der Leich-Begängniß Henrici Nicolai gehalten.

D. O. M. A.

Gymnasii Logici

DIATRIBE IX.

DE

PROPOSITIONIS AFFECTIONE

Disputationis loco
ad sententiarum collationem
proposita
in Gymnasio Gedanensi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,
Philos. Mag. & Professore
Ordinario

Respondentis munus explicante

SIMONE BARTSCHIO
Custrinense Marchiaco.

Ad diem 9. Februarij. S. N.
In Auditorio Philosophico
Horis destinatis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,
ANNO cIɔ. Iɔc. XXXIV.

Spectatissimi, Prudentiâ atq; eruditione Eminentissimi
VIRI
DN: GREGORII KAMMERMAN. Palæopolitanæ Reipublicæ Senatoris gravissimi
Reverendi, Clarissimi, Doctissimiq; VIRI
DN. MICHAELIS BLANCKII Ecclesiastæ ad D: Catharinæ Dantisci Vigilantissimi
NEC NON
Eximiæ tùm Eruditionis, tùm prudentiæ VIRI
DN. ANDEÆ PETERMANNI Notarij in urbe Gedanensium Publici.

Juxtà ac Virtute, dignitate, sorteq; præstantium Virorum
DN. DANIELIS GRUNAW
DN. MARTINI SETOW.
DN. JACOBI RIECKEN.
DN. LEONHARDI BARTZSCH.
Civium & Mercatorum Reipubl. Gedanensis florentissimorum.

Horum Fautorum suorum benevolentissimorum, Illius Hospitis sui munificentissimi.

Erga Musas, iis demq; deditos Amorem & Favorem præsentis diatribes consecratione colit.

SIMON BARTSCHIUS
RESPONDENS.

1.

TErtium oculum in fronte Veteres addebant picturæ Jovis, ut ex signo quodam ligneo, ad quod captâ Trojâ Priamum confugisse fama est, patere narrant Agatharchides & Pausanias, ad notandum triplex Jovis Dominium, in cœlo, terrâ, & mari, ut memorat Comes l. 2. Myth. c. 1. Tertium membrum, affectionem, rei ordinatè tractandæ subjungit Logicus, Ut notet, tribus præcipuam rei alicujus tractationē, maximè absolvi: Definitione, divisione, & affectione. Vidimus duo priora membra in propositione: Subjungendum restat tertium, quo de in præsenti agendum.

2. Tractatio de propositionum affectionibus vel præcognitionis esse potest, vel cognitionis. Illa duplex: 1. An dentur propositionum affectiones? atq; adeò an hæc inscriptio sit legitima? 2. Ubi tractandæ?

3. Quà primum, dari affectiones quasdam propositionis patet 1. ex re ipsa. Dantur quædam habitudines propositionum, quibus propositio vel in se ipsâ explicari, vel cum aliâ conferri potest. Ita possum propositionem v. g. explicare, convertere, variare, alteri opponere, vel æquipollenter conferre, vel ex aliâ educere, vel alteri subordinare. E. dantur propositionis affectiones. Nam hæ nil aliud sunt, quam tales habitudines. V. 1. 6. 2. ex communi Logicorū consensu, qui in propositionis doctrinâ aliquas affectiones tractare solent. Etsi de numero illarum non consentiant. V. Dn. Scheibl. d. prop. c. 9. n. 2. Dissentit Dn. Arnis: in Crel. l. 2. p: com. c. 4. l. a. & ex eo Dn. Clo: d. 7. Log: t. 2.

3. *Non satis validâ ratione. Nil obstat, affectiones has non esse propriè dictas: sufficit si sint analogicæ: Vel disciplinas practicas non demonstrare affectiones de subjecto: sufficit si enumerent eas & pertractent, Etsi non demonstrent. Nec sunt opposita, affectiones propositionum hic tradi, & collationis doctrinam hic proponi. Quorsum* Dn. Guck: respicit. p. 334. syn: Log. *Nam in quibusdam affectionibus id omninò est.* V. t. 14. *Vt nec opposita sunt, affectiones hic tradi, & modos quosdam utendi enuntiatis ad finem obtinendum.*

4. Quà secundum: *Duplex quæstio est.* 1. An benè in parte secundâ Logices *de ijs tractetur? Negat* Dn. Clo. c. l. t. 13. *Quod semper cum discursu & illatione unius ex alio sint conjunctæ. Sed æquipollentia, Conversio & oppositio nudè citra illationem spectari possunt. Sic, Omnis homo est animal, & quoddam animal est homo: Omnis homo est animal, Nullus non homo est animal: Omnis homo est doctus Nullus homo est doctus:* Consecutio *illationem habet, sed non etiam quæ syllogistico discursui est sufficiens, Vt fatetur ipse* th. 11. *ut & de Conversione.* t. 10. *& post* th. 25. *patebit. Rectè ergo hæc doctrina in parte secundâ Logices tractatur, & si usus in parte tertiâ de Syllogismo magnam partem possit esse conspicuus. Hoc huic tractationi nihil derogat. Cum aliud sit, aliquid hic tractari, aluid, hujus tractationis usum ad partē tertia elegāter applicari posse. Quanquam & in veritate duarum prop. dignoscendâ hæc doctrina usum habet.* Cōf. Barthol. l. 2 p. com: c. 5. Zanak. l. 2. Log. s. 1. c. 6. 2. An benè post Divisiones propositionum: *Commodè hoc: Divisiones propositionum priores sunt affectionibus, Affectiones superveniunt prop: in partib. & specieb. suis constitutis. Et sic posteriores sunt ipsis.* Co. Barth. l. c. 2. *Et sic hic postponuntur.*

5. *Fuit* præcognitio. Cognitio *est* vel Nominâlis vel realis. Nominalis triplex. 1 Homōymica. *Affectionis vox*

variè

variè sumitur. Latissimè *notat omnem animi vel corporis motum. Vt lætitiam, morbum, molestiam.* V. Ciceron. l. 1. d. inu. c. 48. Strictius *sumitur pro animi motu. Ita affectus dicuntur amor, ira, odium. Interdum sumitur pro incitatione quadam. Ita affectuosus dicitur, qui incitatius fertur. Interdum qualemcunq; rei attributionem, quæ ei competere potest, notat. Sic hic sumitur.* 2. Etymologica, *Etymologia vocis Logica nulla est; est enim vox ultimatè abstracta: Grammaticè dicitur ab afficiendo, quod q. certo modo propositionem afficiat & determinet.* 3. Synonymica. *Dicitur etiam attributio, attributum, habitudo, qualitas, proprietas, determinatio &c.*

6. *Fuit* nominalis *cognitio:* Realis *est* definitiva, divisiva, & affectiva. Definitio est: Affectio propositionis est habitudo ex certa cõsideratione post partes & species ei conueniens. Con. Reg. l. 2. Log. q. 5. p. 619.

7. *Dicitur* 1. habitudo: *id est, Determinatio & Modalitas quædam, secundum quam propositio diversimodè se habere potest. Ita quãdo v. g. explicatur, opponitur, cõvertitur, est certus modus, secundum quem propositio aliter atq; aliter se habet.* 2. ex certa cõsideratione cõpetens. *Consideratio illa respicit* nostram Logicam operationem, *quâ propositio post partes suas & species operationi intellectus objicitur, ut cum vel explicatur, vel convertitur, vel opponitur. &c. Et ex hac operatione competunt propositioni diversæ affectiones.*

8. *Fuit* Definitio *affectionis: sequitur* Divisio. *Affectiones propositionis sunt* vel absolutæ vel respectivæ. Absolutæ sunt, quæ uni propositioni per se sumpæ competere possunt. *Et sunt tres,* Explicatio *seu interpretatio,* limitatio, & occultatio.

9. *Interpretationis vox variè sumitur. Interdum notat*

 trans-

translationem unius linguæ in aliam, modò quamvis vocem articulatam. V. D. 7. t. 10. modò externam prolocutionẽ, modò quamvis vocem articulatam. V. d. 7. t 10. modò externam prolocutionem, modò ipsam Enunciationem, V. l. c. t. 13. Scharf. l. 2. Log. c. 1. Modò veri sensus elucidationem. Et sic hic sumitur. Definitur Interpretatio veri sensus propositionis Logica expositio. Dicitur 1. expositio, id est, actio quædam intellectus, eruens obscurum propositionis sensum, ut fiat clarus. Hinc libri Aristotelis de propositione inscripti sunt de Interpretatione, quia hæc potissimũ in enunciationibus est attendenda. 2. Logica. Interpretatio alia est Verbalis, quæ ex Grammatica, alia realis, quæ ex realibus disciplinis, alia modalis quæ ex Logicis sumenda. Hic ostenditur modus eruendi & exponendi sensum alicujus propositionis, & iste hic intelligitur. 3 Veri sensus propositionis. His finis est hujus doctrinæ, ut per eam pateat modus Logicus & rationalis, quomodo obscurum Enuntiatum eruere, ambiguum determinare, intricatum exponere, semi, absolutum perficere, & ad planum sensum Logicum reducere debeamus, ut tandem verum elucescat.

10. Affectiones & requisita Logicæ interpetationis sunt plura. Paucis ea libando nota sequentia. 1. Interpretatio Logica reducat propositionem ad unum & certum sensum. Nam ambiguus & incertus sensus Logico nullus est. Et verum est illud tritum: Ambiguorum (quam diu talia sũt) nulla est Logica operatio. Hinc propositio Logica debet unum quid citra ambiguitatem significare, directè affirmare aut negare, nomine & verbo (quantum possibile) recto, id est, nominativo, & indicativo præsenti, constrare. Conf. d. 7. t. 19. 2. Vnius propositionis Logicæ, uno in loco propositæ, respectu dicentis, unus est sensus literalis, & si ex parte audientis duplex esse possit. Logica

gica enuntiatio respicit 1. sensum, non semper sonum verborum, Nam hic unus, potest habere sensus contrarios. Sic, ajo, Illum Te superare posse, duos sensus implicat. 2. Contextum unius loci. Sic omnes circumstantiæ loci considerata unum expedient sensum, etsi aliàs verba absolutè sumpta duplicem sensum involuere possint 3. Respectum ad dicentem. Ex hujus mente semper unus est sensus: Nisi de industriâ ambiguè loqui voluerit. Sic hæ propositiones tanquam non Logicæ reÿciuntur. Ex mente audientis vel legentis interdum duplex sensus esse potest. Cum & sensus dictorum legentibus videndentur dubÿ, ut ad duo applicari possint: & obscuri seu involuti, ut non facile erui possit, quisnam præcisè sensus locum habeat. 4. respectum ad sensum literalem: qui is, quem verba vel sono vel sensu seu Proprio seu Tropico important. Et hic semper unus in uno dicto, non duplex, ut Papistæ volunt. Bell. l. 3. d. V. d. c. 3. etsi varias accomodationes habere possit, quorsum pertinent, quæ de sensu mystico, Tropologico, anagogico, habent Pontificÿ. V. Bell. c. l. Becan. l. 1. man. c. 1. q. 3. Valent. T. 1. d. 1. q. 1. p. 5. Conf. Dn. Kesler. Log. Phot. s. 4. th. 5. 6. Dn. D. Meisn. p. 2. P. S. s. 2. c. 2. q. 4.

11. III. Interpretatio Logica respiciat causas & scopum dicentis, propriam ejus alio in loco explicationem, contextum quà antecedentia, consequentia, circumstantias spectatum, idiotismos linguarum, proprios modos disciplinarum, similium vel dissimilium locorum collationes, verborum suppositiones & accuratas distinctiones, doctorum hominum expositiones, ordinum variationes, speciales determinationes, Vitÿ Logici in sensu, non sermone animadversiones. &c. Pluribus hæc diffusi vide ap: Dn. Meisn. c. l. q. 10. & 12. Flac; p. 2. Calv. p. 82. 83. Dn. Kesler. c. l. Scharf. l. 2. Log. c. 1. Dn. D. Hutt, L. C. d. sp. & litt. p. 2. §. 2. Keck. no-

strum

strum. l. 2. Log. s. 2. c. 1. Alsted. l. 6. Log. harm. c. 12. &c. l. 10. Log. harm. c. 36. *Qui hoc disticho rem complectitur:* Ars, Scopus, Impellens, series, restrictio, confer: Glossæ aliæ; Interpres hæc septem expendere debet.

12. *Fuit* Interpretatio. *Sequitur* Limitatio. *Hæc est sensus propositionis ad certam determinationem revocatio: id est, ostensio, propositionē non esse absolutè & simpliciter veram, sed secundum quid. Limitatio est* vel *formalis, quæ ipsam formam propositionis determinat. Hæc fit particulis modalibus, de quibus* d. 8. t. 16. *Vel* materialis: *Quæ vel est à parte subjecti, cum subjectum restringitur. De hac in propositione restrictiva.* V. c. l. 1. 20. *Vel à parte prædicati, cum prædicatum determinatur, & ostenditur, quo respectu enuntietur de subjecto, de hac inprimis hic. Hæc fit* per terminos vel generales *quales sunt per se, per accidens, per aliud: absolutè, comparatè: materialiter, & formaliter:* Vel speciales, *qui cuiq; materiæ sunt proprij. Et Hæc sumitur* vel *ex eodem nomine, quæ essentialis erit,* vel *diverso, quæ accidentalis. &c.* Requisita *limitationis sunt, Vt sit vera, competēs, non aliena, non inepta, non contradictoria, non ab eo desumpta, quod rei non inest, conveniat modo limitandi Logico, non abeat ab eo: sit distinctè explicabilis, non inexplicabilis. Vide* Keck. nostrum. l. 2. Log. s. 1. c. 4. *An autem facilè sit explicabilis, ut idem c. l: intendit, dubitari jure potest. Cum limitationes interdum difficiles occurrant, quæ tamen veræ. Sic, motus est actus Entis in potentiâ, quatenus in potentia. 3. Phys. c. 1. t. 6 Hæc limitatio difficilis. t. 14. Nisi inter* perspicuum in se, *quod semper in limitatione, &* in respectu ad aliud *distinguas, quod non semper requiritur, cum huic aut illi obscura limitatio esse possit.* V. Cl. l. M. p. 488. c. Keck. *Nec dissimulare potest* Zanack, l. 2. c. Cl. J. M. s. 1. c. 4. q. 5.

13. *Fuit*

13. *Fuit* limitatio. *Sequitur* Crypsis seu occultatio. *Hæc est* propositionis non Logica involutio. Involutio illa est vel in formâ, *cum Dispositio propositionis est involuta, nec facilè patet. Vt* Cic. par. 2. *Seipsa esse contẽtum virtutem ad beatè vivendum: Exiguum leporem vidi jugulasse molossos. Huc pertinẽt multæ involutiones Rhetoricæ, Poëticæ, Oratoriæ.* V. d. 7. t. 10. *Sed hæc involutio non facit propositionem quà formam præcisè impropriam, ut vult* Alsted. c. l. c. 13. *Nam hæc improprietas semper ab aliquo extremorum pendet.* V. d. 8. t. 25. *Sed est tantum velut velatio quædam formæ, ut non statim appareat, quodnam distinctè subjiciatur aut prædicetur:* Vel involutio illa est in materiâ, *cum vel deficit aliquid, Vt* Exod. 34. v. 28. *Inscripsit tabulis verba fœderis. sc. Jehova. Vel redundat, ut sunt determinationes subjectorum & prædicatorum, ut, amicus certus re in certâ cernitur: Vel invertitur, ut cum subjectũ & prædicatum transponũtur, Vt, Magnus quæstus est, pietas suâ sorte contenta.* V. Alsted. c. l. Scharf. l. 2. Log: c. 2. *Veritas, falsitas, universalitas, particularitas, & similia non referuntur inter affectiones propositionis, etsi etiam eam afficiant, constituunt enim affectiones disjunctas, quæ Divisiones materiales propositioni sufficere possunt. Et ea ratione* d. 8. t. 23. 24. *sunt tractatæ.*

14. *Fuerunt affectiones propositionis* absolutæ. Respectivæ *sunt, quæ propositioni collativè consideratæ competunt. Hæc collatio* vel *in propositionibus est,* vel *syllogismis. In propositionibꝰ est, cum una cũ aliâ confertur. Estq́;* vel consensio vel dissensio. Consensio *fit* conversione, consecutione, *ad quam referri potest* subalternatio: æquipollentia, & conciliatione. Dissensio *fit* oppositione. *Collatio in Syllogismis est, cum propositiones in Syllogismo actuali conferuntur. Hæc fit* transpositione. *De singulis distinctè.*

15. Conversio *spectatur* vel nomine vel re. Nomine, 1. homonymicè. *Conversio varia notat 1. realem rerum immutationem, sic aqua in vinum convertitur.* Joh. 2. v. 9. 2. *æqualitatem, Ita Dialectica & Rhetorica conversa dicuntur.* 1. Rhe. id est, *æquè latè patentia, & proprium de subjecto conversim dicitur, id est, æqualiter 3. mutuam relationem. Sic relata conversim dicuntur, id est, unum ad alterum. 4. Eversionem quandam præmissæ alicujus in syllogismo, cum ex contraria conclusionis cum altera præmissâ evertimus alteram præmissarum. 5. Consecutionem consequentis ex antecedente & vicissim. 6. Appellationis reciprocationem. Vt, si animal est in homine, homo est animal. 7. Argumenti retorsionem, cum argumentum in adversarium retorquetur. 8. Qualemcunq; terminorum reciprocationem, etiam falsam. Vt, Omnis homo est animal, Et, nullum animal est homo: 9. extremorum propositionis Logicam transpositionem. Sic hic sumitur.* 2. Etymologicè: *Etymologia Logica nulla est: Grammaticè à convertendo, id est, transponendo, dicitur.* 3. Synonymicè: *Dicitur etiam in versio, immutatio, transpositio, translocatio, consecutio per conversionem, ut notat* Alsted. l. 6. Log. harm. c. 14. Conf. Dn. Scheibl. d. pro. c. 10. n. 2. 3.

16. Conversio re *spectata tribus absolvitur.* 1. definitione. *Quæ hæc est.* Conversio est extremorum propositionis Logica transpositio, manente veritate. *Dicitur* 1. Transpositio, *id est, affectio quædam propositionis, quâ extrema ex uno loco in alium transponuntur. Ramei negant affectionem esse.* Ramus. l. 7. Sch. Dial. c. 4. Dunam. l. 2. Dial. c. 4. Beurhus. Buscher. &c. V. Cl. I. M. l. 2. dis. Ram. c. 4. q. 10. *Falsò. 1. Quia definitio affectionis ei competit: V. t. 6. 2. Vtilis est ad collationem propositionum, & ex eâ eruendam veritatem unius propositionis. 3. In*

reductio-

reductione syllogismorum usum habet. 4. *Docet speciales consequentias unius propositionis ex alia elicere, & multiplicem unius syllogismi conclusionem formare. Vt ut ejus exempla ab Homero aut Virgilio depromere nequeas, quod urgent Ramei.* Conf. Cl. I. M. c. l. & præl. c. Keck. l. 2. s. 1. c. 6. Dn. Kesl. d. consq. c. 11. Hunnæ: l. 4. dial. p: 192. Reg. l. 2. Log: q. 5. p. 612.

17. 2. *Dicitur* Logica. *Non hic qualibet reciprocatio terminorum attenditur, etiam quæ falsum inferat ex vero.* V. t. 15. *Sed ea, quæ ex vero verum eliciat. Hæc enim Logicæ fini competens conversio est.* 3. Extremorum propositionis. *Extrema hic dicuntur Termini actu jam in propositione positi. Vnde per hæc verba* 1. Distinguitur hæc conversio 1. à. reciprocatione Terminorum simplicium, *quæ Convertibilitas dicitur, & quadruplex est.* Secundum rem, *ut homo & rationale eandem rem dicunt:* secundum conceptum, *Vt duo synonyma planè idem dicentia, ut ensis & gladius;* secundum prædicationem, *cum proprium & subjectum idem dicunt, ut homo, & docile:* & secundum relationem, *cum unum dicit respectum ad alterum. Vt, pater filij pater & contrà. Hæc reciprocatio hic non tractatur.* 2. à conversione Syllogistica, *cum ex contraria conclusionis evertitur altera præmissarum.* V. t: 15.

18. 2. Determinantur ipsa extrema. *Quæ sumenda* 1. perfectivè, *ut totaliter prædicatum ponatur pro subjecto & contrà; (non obstante eo, quod verbum sit q. ipsa copulatio: Hoc ex parte tantùm verum est.* V: d: 7. t: 32. 33.) *Vnde falsa conversio: Nullus cantharus in cerevisiâ. E. nulla cerevisia in canthraro: Ita debet, E. nil quod est in cerevisia, est cantharus.* 2. Resolutivè, *ut vel verba in participia, aut debitam suppositionem, vel in quamvis temporis differentiam resolvantur. Vt, Omnis equus habet quatuor pedes. E. quod idem*

habens quatuor pedes est equus. Nullus senex erit puer. E. nullus, qui erit puer, est vel fuit senex: id est, Nullus qui puer futurus est, erit senex. Sic, Aliquis homo est mortuus, id est, aliquis homo, qui jam non est, sed fuit. E. aliquid mortuum est homo, sc. qui olim fuit, non qui jam est. Sic. Nullum generandum est homo. sc: existens. E. nullus homo, sc. existens, est generandus. Con. Stengel: d. Syll. p. 2. §. 23. 24. Fonsec. l. 8. Dial. c. 37. Titelm. l. 3. Log: c. 18. Conimbric: 1. prior: c. 2. q: 1. art: 1. Scheibl. d. pro: c. 10. n. 23.

19. *Dicitur* 4. salvâ veritate. *id est, ex verâ convertendâ debet sequi vera conversa, secus falsa est conversio. Vt, Omnis homo est animal. E. omne animal est homo. Quoddam animal non est homo. E. quidam homo non est animal. Falsæ sunt illæ conversiones. Nam prior vera, posterior falsa. Et hic veritas illa sisti debet. Alias in conversione utraq; potest esse falsa, Vt, nullus leo est animal. Et nullum animal est leo. Vel prior vera, posterior falsa. Vt Omnis leo est animal. E. omne animal est leo, Quanquam hæc conversio est illegitima. Alij addunt* & salvâ qualitate, *id est, affirmatione & negatione.* Dn. Scheibl: c. l. n. 7. 8. Titelm: c. l. Hunnæ: l. 4. Log: p. 192. Barthol: c. 5. l. 2. p. com. *Alij hoc omittunt.* Keck. noster l. 2. Log: 6. s. 1. Alsted: c. l. Dn: Greb. d. 11. Log: c. 11. *Rectius hoc. Nam conversio per contrapositionem omninò facit ex affirmante negantem, mutat enim terminos finitos in infinitos: At propositio infinita de verbo absoluto verè æquipollet neganti.* V. d. 8. t: 12. *Et concedit* Dn: Scheibl: c. 9. n. 19. *Et in reductione ad primam figuram patet. Vt: Omne mixtum est corruptibile Q. corpus non est corruptibile. E. quoddam corpus non est mixtum. Reducitur ex Baroco ad Ferio convertendo majorem: Quicquid non corruptibile, non est mistum. Quoddam corpus non est corruptibile. E. quoddam corpus non*

est

est mistum. *Hic major omninò est negans, Respondens vocali E. in modo Ferio.* V: Gutk: p: 404. syn: Log. Uberius confer Greb: c. I.

20. *Fuit* Definitio *Conversionis: sequitur* Divisio. Cōversio est triplex. Simplex, *ubi retinetur eadem quantitas:* Per accidens, *ubi mutatur quantitas:* & per contrapositionem, *ubi termini finiti mutantur in infinitos.* *De sufficientiâ numeri* Vid: Reg: c. I. p: 624. *Prima locum habet* in universalibus negatis, *Ut, Nullus homo est leo. E. nullus leo est homo:* & particularibus affirmatis, *Ut, Quidam homo est doctus. E. quoddam doctum est homo:* Et singularibus de prædicato singulari. *Ut, Socrates est hic Philosophus. E. hic Philosophus est Socrates.* *Quæ hic in contrarium moveri solent, iis facilè obveneris, si observes 1. Extremorum totalitatem. 2. Verborum ampliationem* V. t. 18. 3. *justam sensus evolutionem, ut si prior duas habeat negationes, ut affirmans præponatur: Si sensum copulativū, non sumatur ut copulatum habens: si negans, ut simpliciter, si vero valorem affirmantis habeat, ut per accidens convertatur. Ut, O. dolus est id, quod nemini patrocinari debet. E. quoddam, quod nemini patrocinari debet, est dolus: si prior supponat indeterminatè, & posterior ita supponat,* &c. V. Steng: c. I. §. 20. 21. 22. Scheibl: & Conimbr. c. I.

21. *Secunda locum habet* in Universalibus affirmatis, *Ut, Omnis homo est animal. E. quoddam animal est homo*[a] particularibus affirmatis de prædicato singulari, *Ut, Quidam homo est Socrates. E. quidam Socrates est homo.* Non negatis, *Ut, quidam homo non est Petrus. E. Petrus non est homo.* Et singularibus de prædicato communi affirmatis & negatis. *Ut, Petrus est homo, E. quidam homo est Petrus. Paulus non est Imperator. E. quidam Imperator non*

est Paulus. *Quæ hic moventur, ad ea nota. 1. Aliud esse materialem reciprocationem, quæ in Universali affirmato procedit, Vt, Omne animal est sentiens. E. Omne sentiens est animal. Aliud formalem conversionem. Hæc ex universali infert particularem. 2. Cætera in conversione notanda, & hic locum habere.* V. t. 18. 20. *3. Exponibiles convertendas per suas exponentes, in quas redigendæ.* V. Steng: c. l: n: 26. *Secues ut tales sunt, converti non possunt. 4. Modales divisas ad formam purarum exponendas: compositas non magnopere curari à Logicis.* Conf: Scheib: n: 55.

22. *Tertia à quibusdam reijcitur, ut magis subtilis quam utilis.* Eust: à S. Paul: su: Ph. p: 2. Dial: tr: 1. q. 3. *Et ejus usus non sit in reductione Syllogismorum.* Scheibl: c. l. n. 18. Reg: c. l. p. 624. Crell: p. com. l. 2. c. 5. *Et sit potius consecutio à negatione generis ad negationem speciei.* Schar: l. 2. Log: c. 10: *Omnia hæc falsa. 1. Subtilitas animum inscitiæ rubigine exuit.* Scal: ex 307. s: 3. *2. Vtilis est hæc conversio in consequentiis nectendis, & syllogismis è Baroco & Bocardo ad primam figuram reducendis, qui non aliter quam Contrapositione reducuntur.* V. t. 19. & Dn: Gurk. ibi. c. l. *Hinc Philosophus eâ utitur* 1. d. coel. c. 7. & Cic: 1. de jnu: & 2. d. fin: *3. A. Consecutione adhuc abstrahi hic potest. Vt: Omnis homo est animal. Et omne quod nō est animal, non est homo. Conf.* t. 4. *Locum habet hæc conversio* in universalibus & singularibus affirmatis, *seu materia necessaria sit, sive contingens, Vt, Omnis homo est animal. Et quod nō est animal, nō est homo. Socrates est homo. Et, quod nō est homo, non est Socrates.* V: Scheib. n: 43. 44. & particularibus negatis, de prædicato cōmuni, *Vt, quidā homo non est dives, Et quidā non dives, non est homo. Quidam hic requirunt existentiam subjecti in convertenda affirmante, & conversa*

nega n-

negante. ℣. Mendo: d: 4. sum: s. 5. §. 14. *Et hoc non jnutiliter observari potest.*

23. *Fuit* Divisio *Conversionis.* Affectiones *ejus sunt* 1. Particularem esse propositioni. *Non omnis propositio converti potest, sed quædam. Non 1. particularis negans de prædicato singulari, Vt, Quidam homo non est Paulus. E. Quidam Paulus non est homo.* V. Steng. c. l. §. 28. *Dices: Ita est convertenda: E. quidam, qui non est Paulus, est homo. Eò ipse inclinat.* §. 31. *Sed hæc conversio non procedit. Facit enim ex negante affirmantem, quod in simplici & per accidens conversione, qualis hæc, non conceditur. Non 2. propositio hypothetica. Non 3. exponibilis, ut talis. V.* t. 21. *Non 4. Modalis composita, quod tentant* Scheibl: c. l. n. 57. Nihus: d. mod. p. 1. c. 9. Titelm: l. 3. Dial. c. 25. *Nescio an satis accuratè. Potest enim inferri ex verâ convertendâ falsa conversa, quod contra leges bonæ conversionis. Vt, Necesse est omnem Mathematicum esse doctum. E. nece. est quendam doctum esse Mathema. At hoc contingens est, quia posito genere non necessariò infertur species, ut benè* Dn. Arniseus in Crel. p. com. l. 2. c. 6. lit. g. *Sic, necesse est omne doctum esse hominem. E. nec. est quendam hominem esse doctum. At hoc contingens est. Et omninò difficile est, illas conversiones, quæ ex præmissâ necessaria sequentem eliciunt contingentem, pro veris habere, quicquid alij hic colorēt.* V. Steng: c. l. §. 28. *Aliqua habet hac de re* Arist: 1. prior. c. 3. *Excusatus ab* Dn. Arnis. c. l. Dices: *Eadem difficultas est in modali divisâ. Vt.* O. *Mathematicus necessariò est doctus. E. quoddam doctum necessariò est Mathem:* ℞. *Hæc conversio est illegitima. Nam modus, quia hic ad copulam pertinet, ad prædicatum totale pertinet. Et sic proinde convertendum:* O. *Math: nec: est do: E. quoddam quod necessariò est doctum, est Mathematicus. Hoc verissimum, Modalis tamen composita, ut puræ a-*

qui-

æqui pollet, V. d. 8. t. 16. *etiam conversionem admittit*. V. Scheibl. c. l. n. 57. Fons. l. 3. dia. c. 13. *Vt modalis esse debet, vix. 2. Vtilem esse*. V. t. 16. 3. *Applicari vel in syllogismo, vel extra eum*. V. t. 4. 4. *Terminorum legitimam resolutionem requirere*. V. t. 18.

24. *Fuit* Cõversio. Cõsecutio *spectatur vel quà nomẽ, vel rem. Quà nomẽ* 1. Hononymicè. *Consecutio notat 1. consequentiã syllogisticã. Ita syllogisſimus sequi vel nõ sequi dicitur. 2. Consequentiã ennnciatiuã. Sic hic sumitur*. V. Dn. Kesl. d. cons. c. 1. 2. Etymologicè: *Etymologia Logica nulla hic est, nam vox abstracta est: Grammaticè dicitur à consequẽdo, id est, eliciendo alterum ex altero*. 3. Synonymicè. *Dicitur etiam consequentia, collectio, eductio propositionum, virtus collectiva* Mocenico. *Vt notat* Alsted. c. l. c. 15.

25. Qua rem *1. quà* Definitionem. *Quæ hæc*. Consecutio est unius propositionis ex aliâ sine medio vera eductio. *Dicitur 1. Eductio, id est, collectio, illatio unius ex alio, affectio quædam propositionis, quâ ex fœcunditate quadam una de se potest gignere aliam. 2. vera, Nam falsæ hic respuuntur. 3. Sine medio. Per hoc differt hæc consecutio à consequentiâ syllogisticâ, quæ semper fit ex suppositione medij Termini, vel expresſi vel involuti*. V. Scheib. c. l. c. 12. n: 2. *Et sic non validè reÿcitur hæc doctrina in propositione, à Rameis*, & Fonsec. l. 3. inst: Dial: c: 6. Eustach. à S. P. tr. 1. d. en. d. 3. q. 1. *quod sit syllogistica*. V. eundem c. l. & Dn. Kesl. d. cons. c. 7. *Addunt alÿ, & sine conversione fieri debere*. Alsted. c. l. ex *Mocenico*. *Alÿ hoc respuunt, & perinde se ad consecutionem habere dicunt, seu cum conversione, seu sine e[illegible] perficiatur*. Dn. Scheibl. c. l. 2. Qua divisionem, C[illegible]*secutio* alia est simplex, alia subalternans. simplex, *quæ absolutè unam infert ex alia*. Subalternans, *quæ subalternatam infert*. *Huc pertinet* subalternatio,

ternatio,

alternatio, quæ est propositionis particularis sub universali subsumptio. Vt, Omnis homo est animal. E. & quidam est animal. V. Scharf. l. 2. Log. c. 4. 3. Qua affectionem. *Consecutio sit ad regulas Logicas formata. Plures earum proponi solent, quas hic ob chartæ angustiam non possumus deducere.* V. Scheib. c. l. c. 10. n. 6. Reg: c. l. p. 635. Alsted. c. l. Dn. Kesl. c. l. c. 8. Schar. c. l. c. 10.

26. *Fuit* Consecutio. *Sequitur* Æquipollentia. *Hæc dicitur tripliciter:* 1. Quælibet *convenientia terminorum in significatione. Sic æquipollent ensis & gladius, homo & rationale: 2. quælibet propositionum in sensu convenientia. Sic æquipollent, Paries est albus & albedo est in pariete. 3. specialis convenientia propositionum eadem extrema retinentium, signis vel modis diversa. Sic hic sumitur. Et hæc in Log: tradi debet.* V. Cl. I. M. c. Keck. l. 2. s. 1. c. 5. *Et sic est* affectio duas propositiones diversis signis vel modis affectas, addendo vel detrahendo particulas, in eundẽ sensum reducens. *Vt, Omnis homo est animal. Nullus non homo est animal. Idemq́; in modalibus procedit. Vt, Necesse est hominem esse animal. Non contingens est hominem esse animal. Impossibile est hominem non esse animal, Non possibile est hominem non esse animal. Vulgò habent versus, Non omnis, nullus. &c. &, Præ contradic, post contrar, præpostq́; subalter.* Conf. Scharf. l. 2 Log. c. 10. *In compositis & exponibilibus propriè nulla est æquipollentia hæc, Nam in iis nec signa nec modi, qui fundamenta æquipollentiæ.*

27. *De* Exhibitivarum propositionum æquipollentiâ *hic quæri solet, qualiter instituenda? Exhibitivæ dicuntur, quæ monstrant subjectum complexum, & prædicatum principalius enuntiant. Vt, Hoc est vinum Rhenanum, hoc Creticum, Hoc Hispaniense, ostensis diversis Cantharis: Hoc est infans, ostensis cunis. Tales sunt in cœnâ, Hoc est Corpus*

 Christi

Christi, ostenso pane benedicto: Hoc est sanguis Christi, ostẽso vino benedicto: & sunt tales loquẽdi modi in pluribꝰ linguis usitati. Hic vero hoc est evolvendum, ut pateat. Et id distinctè. *Sunt enim* hæ propositiones duplices. Vel accidentis de subjecto, *Vt, hoc, ostenso saccaro, est album; Hoc est dulce: Harum æquipollentia est nominatione subjecti, Vnde ita exponũtur: saccarum est album: Lac est dulce:* Vel uniti unius *minus sensibilis de Vnito altero. Vt, Hoc est argentum, ostensâ crumenâ.*

28. *In his æquipollenter statuendis subjectum nec Vnitorum unum seorsim, nec alterum seorsim, nec utrumq; distinctè enuntiare debet, sed complexionem utriusq; indeterminatè: Et in explicatione paraphasi particularum, in, cum, vel sub, exprimendum. Nam* hoc *complexionem duorum notat. E. prædicatio ita resolvi debet, ut modus essendi postulat. Falsò ergò dices: Cantharus est vinũ: Vel vinum est vinũ: Vel Cantharus & vinum est vinum. Omnia hæc Sophisticè: Sed ita resolves: In vel cum Canthare est vinum. In vel cum cunis est infans. Idem de prædicationibus Sacramentalibus habendum. Si interdum Ecclesiasticâ phrasi dicatur, Panis est corpus Christi, exegesis est prædictæ phraseos, & consequens quiddam, non præcisè æquipollentia. Nec est sensus, quasi unum quidditativè sit alterum, sed notatur mysticus & arctissimꝰ unionis modus, quo diversa abeunt hæc exempla ab iis, quæ de Canthare & vino, cunis & infantibus illustrandi phrasin, non modum uniendi demonstrandi gratiâ, ut sophisticè perverti solet, adduci solent. Et semper sensus phraseos in dictum modum resolvitur. In, cum, sub pane præsentissimè unitum exhibetur corpus Christi. Quicquid exclament dissentientes: In, cum, sub, totum fallunt monosyllaba mundum! Ipsa scriptura non abhoret ab ejusmodi expositione. Christus est Deus.* 1. Joh. 5. v. 20. *& Deus erat in Christo.* 2. Cor. 5. v. 19. Act. 10. v. 38.

29. *Fuit* æquipollentia. Conciliatio est affectio propositionum modum ad convenientiam in specie pugnantes reducendi ostendens. *Perficitur observando media interpretationis, de quibus* t. 11. *& resolvendo terminos simplices, & media legitimæ oppositionis attendendo. De quibus* Vid. Keck. nostrum, l. 2. Gym. Log. c. 4.

30. *Hactenus* affectiones collativæ per consensionem. *sequuntur, quæ per dissensionem. Ea est vel* diversitas *vel* oppositio. Illa est dissẽsio propositionis sine pugnâ. *Vt, ille delectatur jure, id est jusculo. Ille nõ amat jus, id est justum.* V. Alsted. c. l. c. 17. *Hæc variè sumitur.* Vel *ut rebus competit, sic Methaphysici est:* Vel *ut Terminis, Ita albus, niger, sunt opposita: sic ad partem primam pertinet. V.* d. 5. t. 23. Vel *ut enuntiationibus. Sic hic. Hæc consideratio est multũ diversa à priori. Sic, Omnis, homo est niger & omnis homo e. albus, sũt ex terminis oppositis, & tamẽ propositiones nõ sũt oppositæ. Definitur* affectio propositionum pugnam earum ostẽdens. *Divisio ejus varia est. Quidã unã, alij duas, alij tres, alij quatuor, alij quinq; species faciunt. Adverte sequẽtia.* 1. Oppositio *ut est notio exactè dividens verũ à falso, est una, nempè Contradictoria. Hæc enim præcisè unum verum dicit, alterum falsum. Et impossibile est duas Contradictorias simul esse vel* veras, *quod qui diceret, fuste corrigendus esset, judice* Mẽdozâ. d. 1. Meta s. 3. §. 21. Cõf. Sa. d. Lub. l. 1. d. int. a. 7. Vel falsas, *ut olĩ voluit Piscator, & tandẽ duas Cõtrarias substituit pro Contradictorijs.* V. Arnis. c. l. c. 4. l. g. Goclen. p. 3. prob. q. 22. *Similiter ut oppositio applicatur Enuntiationibus compositis vel exponibilibus, est una, Contradictio. Nam reliquæ oppositiones hic locum non habent.*

31. 2. Oppositio *applicata prop. simplicibus & modalibus est duplex, Contraria & contradictoria.* 3. Opp.

 parti-

particularibus applicata de uno subjecto, facit subcontrariam oppositionem. *Et sic tolerantur* Dn. Melanch. l. 2. Log. p. 124. Mendoz. d. 4. sum. s. 6. §. 20. *qui tres oppositiones statuunt: Quamvis ita ad contradictoriam referri potest: De diversis subjectis nullam facit oppositionem.* V. Dn: Greb. d. 11. Log. q. 2. 4. Oppositio *formis enuntiationum in universum applicata est quintuplex, Contraria, Contradictoria, subcontraria, indefinita, & singularis. Et sic* Crellius *toleratur* c. l. 4. Conf. Arnis. c. l. l. b. *subalternam, quam* Libauius *infert,* l. 2. Log. Ph. Ra. p. 515. non agnoscimus. 5. Opp. Contraria *est pugna duarum universalium in qualitate:* Contradictoria *universalis & particularis: & optimè formatur* toti prop. præponendo signum negandi, non. *Negat* Mendo. c. l. s. 7. §. 26. *in infinitis & exclusiuis id procedere. Sed omninò & in illis procedit, modò competens fiat resolutio.* V. t. 21. *Oppositorum requisita sume ex* d. 5. t. 18. 19. *De modaliũ oppos: confer* Mend. c. l. s. 12. 13. Fabr: l. I. d. int. c. 8. & 15. Schei. c. l. c. 11. n. 4. Sa. d. Lub. l. 2. int. a. 2.

32. *Fuerunt* affectiones respectivæ *in propositionib9: sequitur quæ* in syllogismis. *Ea est* transpositio. Quæ est duarũ prop. in syllogismo trãslocatio. *Estq; in reductione observanda, Vt cum M. vult transponi. sic: Prima figura locat majorem in sede minoris. &* c. V. Scharf. l. 3 Log: c. 5. Aristot. *ejus in reductione non meminit, quia clarior, quam ut explicaretur. Vt notat* Morisan. l. 1. pri. c. 2.

33. *Fuerunt* divisiones *affectionum propositionis:* Attributa *earum sunt.* 1. Prop. *variationes, explicationes, collationes ostendere, & sic syllogismis formandis eas præparare. 2. Fæcunditatem prop. monstrare. 3. Veritati melius eruendæ media subministrare. 4. Omnem propositionum habitudinem, vel cõsentiendi vel dissentiendi, vel convertẽdi explicare. 5. Intelligendis eò melius Logicorum scriptis inservire. &c.*